

mare; Jesus enim « auctoritatem sibi subque legationi conciliavit claritate signorum, » ait S. Chrysostomus, tum ut per sanitatem corporis sanaret animam; sanati enim corpore ob hoc beneficium et miraculum credebant et debebant se Christo. *Evangelium regni*, est letum nuntium de regno cœlorum jamjam per Christi mortem aperiendo, et de via et modo illud inveniendi et reipsa consequendi; utrumque enim predicabat Christus assidue et continuo, non equo nec curtu vectus, sed pedibus incedens, circumeundo omnes urbes et pagos Galilæe. Mirare hic in Christo indefessum predicandi stadium, ac labores Evangelicos, imo Angelicos, illosque imitare.

**24. ET ABIT OPINIO** (Græce *ἀπίστος*, id est auditio, *Vers. 24.* *Luce. 17.* *Timor, fama*) EJUS IN TOTAM SYRIAM, ET OBTE-  
**LERUNT EI OMNES MALE HABENTES VARIIS LANGUI-  
RIBUS ET TORMENTIS** (Græce *ἐκαστος*, id est *tormentibus, cruciatibus*, qui similes sunt his quos sentiant illi qui in equale torquentur et cruciantur: *ἐκαστος*; enim proprie est *questio*, qua reus in equale torquetur, ut delictum et complices delicti confiteatur) **COMPREHENSOS, ET QUI DEMONIA HABERANT** (demoniacos, obsessos et possessos a demonibus) **ET LUNATICOS ET PARALYTICOS, ET CURAVIT EOS.** — Lunatici sunt aegri qui lunæ et lunationibus subjacent, ut juxta eas aegrius habeant, aut delirant et insaniant, Unde Arabicus vertit: *Et qui agitabantur in principis lunationum.* « Lunatici, ait Apuleius, sunt qui cursum lunæ patiuntur, puta in quos luna agit; hæc enim dominatur humidis iisque qui humidio et debili sunt cerebro: unde in novilunio et plenilunio humores, puta pituitam et melancholiam auget et miscet, itaque cerebrum turbat agiturque in delirium, maniam, phrenesin; quales potissimum sunt epileptici, qui comitiali morbo laborant (quo agitari illos perhibent, qui nati sunt in interlunio, id est inter deficientem lunam et novilunium, licet id neget Valerius, *Sæva Philosoph.* cap. LXXI); aut insania a liove morbi genere quoniam, certis lunæ temporibus gravantur et agitantur; cui malo sæpe se demon immiscet, graviusque tales affligit magis concitando humores, præsertim bilem utramque, tam atram quam flavam, id est melancholiam et choleram, imo ipse subinde malum hoc procurat et efficit, ut patebit, cap. XXII, 17 et 18. « Demon enim, ait Glossa, lunæ tempora servat, ut creaturam infamem in creatoris blasphemiam; utque per humores a luna commotos magis phantasiam turbet, hominesque tentet et vexet tribus et cholericis phantasmatibus, ac subinde adigat ad desperationem et necem sibi inferendam. »

Lunatici qui?

ET CURAVIT EOS. — « A nullo horum fidem requisivit, » ait S. Chrysostomus, nondum enim virtutem suam ostenderat, et venientes a longe parvam adhuc in eum fidem habebant; postea vero ab ægris fidem requisivit, ut patebit in sequentibus. « Nubes quasdam signorum, ait Chrysostomus, Matheus paucis verbis transcurrit, e quibus nonnulla postea distinctius et fusius enarrabit. »

Mystice: lunatici sunt varii, mutabiles et inconstantes, qui nunc Deo et pietati, nunc diabolo et cupiditatibus serviunt, juxta illud: « Homo sanctus in sapientia manet sicut sol, nam stultus sicut luna mutatur. » *Ecl. XXVII, 12.* Vide ibi dicta.

**25. ET SECUTE SUNT EUM TURBE MULTE DE GALILÆA, ET DECAPOLI, ET DE IEROSOLYMIS, ET DE JUDEA, ET DE TRANS JORDANEM.** — « Secuti sunt multum Christum, ait Glossa, alii ob celestia, alii ob curacionem, alii fama et curiositate ducti, alii per invidiam, volentes eum in aliquo carpere et accusare. » Causam dat S. Bernardus, serm. 1 *De omnibus Sanctis*, dicens: « Predicantem Dominum de civitatibus et castellis populi sequebantur, quorum salvabat animas, sanabat corpora, et adhaerebant ei, affatu pariter et aspectu illius delectati, cujus nimirum vox suavis et facies decora, sicut scriptum est: Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis: talis est quem nos sequimur, cui adheremus, totus desiderabilis, in quem non solum populi, sed et ipsi quoque Angeli sancti desiderant prospicere. »

**DECAPOLI.** — Decapolis est regio decem non urbium, ut habet Glossa interlinearis, sed urbium; *δέκα* enim sunt decem, *πόλις* est urbs. Decem harum urbium nomina, teste Brochardo et Adrichomio, hæc sunt: Tiberias, Sephet, Asor, Cedes, Cesarea Philippi, Capharnaum, Iotapata (cui præfuit Josephus contra Romanos et Titum pugnans), Bethsaida, Corozaim, Bethsan, sive Scythopolis.

ET DE TRANS JORDANEM. — Id est de regionibus ultra Jordanem situs respectu Galilæe, quæ erat cis Jordanem, in qua predicabat Christus, uti site sunt Galaad, Trachonitis, Ahylna, Seir, Colesyria, et Batanea, olim Basan dicta, quæ fuit ditio Oz regis; Syri enim et Chaldei sæpe Hebræum *Schin* in *Tau* commutant, ut pro *Basan* dicant *Batan*; pro *scheloscha, telata*, id est tria; pro *schabar, telar*, id est fregit; pro *scub, tub*, id est reversus est; pro *scor, tor*, id est auris. Uterius vero sita erat Arabia triplex, scilicet: Felix, Petrea et Deserta. Ex his omnibus regionibus multi fama doctrinæ et miraculorum Christi excitati, ad eum confluerunt cumque quaquaversum comitati sunt.

Lunatici sunt inconstantes.

*Vers. 25.* *Luce. 17.* *Mar. III, 7, 8.*

## CAPUT QUINTUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Incipit hic sermo Christi in monte, quem hoc capite et duobus sequentibus enarrat Matheus, quo primo docet octo beatitudines Evangelicas; secundo, vers. 22 corrigit justitiam Scribarum, ac decalogum perfecte docet et explicat, scilicet, eo non tantum externum actum homicidii, adulterii, furti, sed et internam concupiscentiam prohiberi.*

1. Videns autem Jesus turbas, ascendit in montem; et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus; 2. et aperiens os suum docebat eos, dicens: 3. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. 4. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. 5. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. 6. Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. 7. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. 8. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. 9. Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. 10. Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. 11. Beati estis cum maledixerint vobis, et persecuti vos fuerint et dixerint omne malum adversum vos mentientes, propter me. 12. Gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis; sic enim persecuti sunt prophetas, qui fuerunt ante vos. 13. Vos estis sal terræ. Quod si sal evanuerit, in quo salietur? Ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras et conculcetur ab hominibus. 14. Vos estis lux mundi. Non potest civitas abscondi supra montem posita. 15. Neque accendunt lucernam et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt. 16. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est. 17. Nolite putare quoniam veni solvere legem, aut prophetas; non veni solvere, sed adimplere. 18. Amen quippe dico vobis, donec transeat cœlum et terra, iota unum, aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant. 19. Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum; qui autem fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. 20. Dico enim vobis, quia nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et Phariseorum, non intrabitis in regnum cœlorum. 21. Audistis quia dictum est antiquis: Non occides; qui autem occiderit, reus erit judicio. 22. Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri suo, *raca*, reus erit concilio. Qui autem dixerit, *fatue*, reus erit gehennæ ignis. 23. Si ergo offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, 24. relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens, offeres munus tuum. 25. Esto consentiens adversario tuo cito dum es in via cum eo, ne forte tradat te adversarius judici, et iudex tradat te ministro et in carcerem mittaris. 26. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem. 27. Audistis quia dictum est antiquis: Non mœchaberis. 28. Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo. 29. Quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, et projice abs te; expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam. 30. Et si dextra manus tua scandalizat te, abscede eam, et projice abs te; expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum eat in gehennam. 31. Dictum est autem: Qui cumque dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudii. 32. Ego autem dico vobis: Quia

omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari; et qui dimissam duxerit, adulterat. 33. Iterum audistis quia dictum est antiquis: Non perjurus; reddes autem Domino juramenta tua. 34. Ego autem dico vobis, non jurare omnino, neque per cœlum, quia thronus Dei est; 35. neque per terram, quia scabellum est pedum ejus; neque per Hierosolyam, quia civitas est magni regis; 36. neque per caput tum juraveris, quia non potes unum capillum album facere, aut nigrum. 37. Sit autem sermo vester: est, est; non, non; quod autem his abundantius est, a malo est. 38. Audistis quia dictum est: Oculum pro oculo, et dentem pro dente. 39. Ego autem dico vobis, non resistere malo; sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi et alteram. 40. Et ei qui vult tecum iudicio contendere et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium. 41. Et quicumque te angariaverit mille passus, vade cum illo et alia duo. 42. Qui petit a te, da ei; et volenti mutuari a te, ne avertaris. 43. Audistis quia dictum est: Diliges proximum tuum et odio habebis inimicum tuum. 44. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos; et orate prosequentibus et calumniantibus vos; 45. ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos. 46. Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne et Publicani hoc faciunt? 47. Et si salutaveritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? nonne et Ethnici hoc faciunt? 48. Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est.

**1. VIDENS AUTEM JESUS TURBAS, ASCENDIT IN MONTEN; ET CUM SEDISSET, ACCESSERUNT AD EUM DISCIPULI EJUS.** — Cause multe fuerunt cur Christus ascenderit in montem. Prima, ut instante nocte, ibi se daret quieti; turbae vero ad vicinas villas se conferrent, ibi pernoctaturæ et mane ad Christum redituræ. Secunda, ut in monte tota nocte oraret, uti fecit, teste Luca. Tertia, ut ibidem mane facto et discipulis suis eligeret duodecim Apostolos, uti ipsum fecisse narant Lucas et Marcus. Quarta, ut e monte sublimi sublimem et cœlestem Evangelii doctrinam deponeret. Quinta, ut antitypus responderet suo typo, et veritas suæ figuræ. Lex enim vetus, quæ typus fuit novæ, edita fuit in monte Sina, *Exod. XIX*. Nova autem magis excelsa et ardua est quam vetus; in celsiori ergo monte eam prædicari oportuit.

Tropologicæ: Auctor *Imperfecti*, homil. 9, dat causam Christi ascensus in montem: « Ut ostendat nobis, inquit, quoniam in altitudine spiritualium virtutum consistere debet qui docet justitiam Dei, pariter et qui audit. » Et quod ad doctorem spectat, statim rem confirmat: « Qui docet, inquit, verborum suorum sit ipse exemplum, ut magis opere doceat quam sermone; qui autem ambulat per convales vite terrena, et loquitur alios sermones, non alterum instruit, sed seipsum castigat. Nemo enim potest in valle stare, et de monte loqui; si in terra est animus tuus, ut quid de cœlo loqueris? Si autem de cœlo loqueris, in cœlo consistit. » Quod a i auditoem pertinet non minus elegantur: « Qui, inquit, audit justitiam Dei, ideo debet in altitudine bonorum operum consistere, quia discipulus imitator esse debet magistri. Si autem in peccatis vivas et abis

justitiæ verba, iudicium tibi, non salutem acquiris; audis enim ne excusationem habes. Si facere justitiam non vis, ut quid predicatorem justitiæ audis? ut quid doctorem appellas, ejus non vis esse discipulus? »

Quæres, quis fuit hic mons? « Nonnulli simplicium fratrum, ait S. Hieronymus, tantum Christum beatitudines et cœtera quæ sequuntur in monte Oliveti (qui est in Judea juxta Jerusalem) docuisse, quod nequaquam ita est; ex precedentibus enim et sequentibus in Galilæa monstratur fuisse locum, quem putamus esse vel Thabor, vel quemlibet alium excelsum montem. » Chorographi terræ sanctæ, ut Brocardus, *Itinerario*, cap. III; Bredenhachius, *ibidem*; Fretel, pag. 8; Saligniacus, tom. IX, cap. VIII; Adrichomius, pag. III, num. 69, tradunt hunc montem vocari montem Christi, quod Christus in eo solitus sit orare et prædicare, qui ab urbe Capharnaï versus occidentem tribus miliaribus distat, nec procul a mari Galilææ abest adjacetque urbi Bethsaida. Altitudo ejus tanta est, ut inde terra Zabulon, Nephthalim, Trachonitis, Ituræa, denique Seir, Hermon et Libanus montes conspici possint. Natura totus herbosus, floridus et amœnus, ac cœlesti philosophiæ convenientissimus. Unde et Christus frequenter in hoc loco oravit et docuit. Hic divina oratione integras noctes traxit. Hic omnibus discipulis suis ad se vocatis, duodecim ex eis delegit, quos et Apostolos ordinavit ac nominavit. In hoc ergo monte cœlo Christus habuit hunc sermonem prolixum, quo summam Evangelii et perfectionem legis novæ docet, et paucis complectitur. « Ostenditur adhuc in eo lapsus, ait Adrichomius, in quo Christus prædicans sedit, et loca in quibus

Mons Christi quia?

Apostoli consedissee memorantur. » Hucusque illi.

Nota: voluit Matthæus, incohans a prædicatione Christi, summam ejus initio tradere, ut novæ legis præ veteri sublimem doctrinam, sanctitatem et perfectionem statim lectori representaret per sermonem quem Christus habuit in monte, etiamsi longe posterius, s. habitus sit. Multa enim eum antecesserunt quæ in sequentibus recensentur: hæc ergo fuit series historiæ. Christus, cum cuidam manum quæ exaruerat restituisset die Sabbati, ut habet Matthæus, cap. XII, 45, fugiens iram Scribarum, recepit se ad mare Galilææ, ubi affluente turba, cum multos ægros sanasset, ascendit in montem in quo, cum pernoctasset in oratione, mane duodecim Apostolos constituit. *Luc.*, cap. VI, 12. Quo facto, ut habet Lucas, descendit e fastigio montis ad locum in eo declivorem et campestem, ibique sedens, sequentem habuit concionem, partim ad discipulos, partim ad totam turbam, nam hanc concionem interfuisse patet hic, cap. VII, 28. Porro eandem hanc esse concionem cum illa quam recenset Lucas, cap. VI, liquet ex eodem utriusque argumento, eodem initio et fine eodem.

Series Historiæ.

Utrouque enim proponitur a Christo summa Evangelicæ prædicationis et perfectionis. Licet enim Matthæus octo numeret beatitudines, Lucas vero quatuor duntaxat; tamen in illis octo hæc quatuor, et in his quatuor illæ octo continentur, ut advertit S. Ambrosius; Lucas enim in rebus gestisque Christi Matthæus vero in dictis verbisque ejus enarrandis est fusior, magisque se expandit, uti dixi Canone 14.

Igitur electo Apostolorum a Christo facta est in caemine montis; sermo vero sequens habitus est in descensu montis, sive in loco ampestri, ut ait Lucas. Ita Jansenius, Franciscus Lucas et alii, licet Maldonatus putet habitum in ipso monte, quodque Christus e loco campestri rursus descendit montem ibique legem novam promulgavit.

Porro, Matthæus vocationem Apostolorum, quæ hunc sermonem antecessit, rejicit in cap. X, quia necdum ipse suam a Christo vocationem enarrat; hanc enim narrat cap. IX. Certum est autem Matthæum, uti et ceteros Apostolos hunc sermoni Christi interfuisse. Habitum fuit hic sermo a Christo sub medium mali, cum paulo ante eodem mane electio Apostolorum ab eo facta esset, anno ætatis ejus 32, qui fuit prædicationis Christi secundus, uti dixi in Chronotaxi, num. 21.

ET CUM SEDISSET. — Doctoris enim est in cathedra vel altiori loco sedere, ut eminens audiatur; discipuli vero est docenti astare vel subsidere, in humiliori scamo vel loco. Rursum sessio tranquillitatem Christi notat; corpore enim sedente, mens pariter sedata quasi sedet, et apta est rebus divinis mediandis et docendis. Qua de causa S. Bernardus familiare fuit sedere.

2. ET APERTIENS OS SUUM, DOCEBAT EOS, DICENS: — « Ite eo Hebr. idem est quod loqui; sed hic

emphasim habet, q. d. Christus res sublimes, miras et magnas ac divina mysteria, quæ antea tacuerat et mente celarat, jam reserans aperto ore patefecit. Ita S. Hilarius; S. Bernardus vero, serm. 1 in festo omnium Sanctorum: « Aperuit, ait, nunc os suum, qui prius apererat ora prophetarum, » etc. « Vere apertum est os ejus, in quo omnes thesauri sapientiæ et scientiæ sunt reconditi. »

3. BEATI PAUPERES SPIRITU (Egyptius in spiritu), QUONIAM TESORUM EST REGNUM CÆLORUM. — Christus a beatitudine quam omnes quærunt et ambiunt, sed pauci inveniunt et nanciscuntur, orditur sermonem, uti et David librum *Psalmsorum*, dicens: « Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, » etc. *Psal.* 1.

Docet ergo Christus aliis in rebus situm esse veram beatitudinem, quam vulgus autumat, ait Philosophi tradant, scilicet in paupertate spiritus, in mansuetudine, in siti justitiæ, in sancto luctu, in patientia et pace.

BEATI ERGO SUNT PAUPERES SPIRITU. *Beati*, inquam, in spe, sed nondum in re; *Beati*, beatitudine viæ, non patriæ, qui scilicet in recta sunt via tendente ad beatitudinem; *Beati* in inchoatione virtutis et pacis, non in consummatione coronæ et gloriæ. « Beatitudo, ait Nyssenus, est dos propria Deo: dum ergo Christus pauperes spiritu facit beatos, facit eos participes divinitatis. »

Alludit ad illud Mosis, *Deut.* xxxiii, 29: « Beatus est, Israel: quis similis tui, popule, qui salvaris in Domino? » Pauperes enim spiritus sunt Israel, populus electus, qui suam spem, opes, salutem et felicitatem collocantur in Domino; quia enim spernunt opes terre isque dominantur, hinc sunt Israel, id est dominantes Deo et cœlo: « quoniam ipsorum est regnum cœlorum. » Porro Isidorus, lib. X *Orig.*, littera B: « Beatus, inquit, dicitur quasi bene auctus, scilicet, ab habendo quod velit, et nil patiendo quod nolit. Ille autem vere beatus est qui et habet omnia quæ vult bona, et nihil vult mali. Ex his enim duobus beatus homo efficitur. » Sic et Varro, lib. IV *De Lingua Latina*: « Beatus, inquit, dicitur, qui multa habet bona, et is opulentus, ab ope, cui ex optima. *Dives*, a divo, qui ut Deus nihil indigere videtur. » Et Cicero, *Tuscul.* III: « Beatus est, inquit, cui secretis malis omnibus cumulata est bonorum complexio. » Quæ autem vere sint bona, hic ostendit Christus, nimirum paupertatem spiritus, mansuetudinem, sanctum luctum, sitim justitiæ, etc.; quare qui hæc possident, beati sunt ideoque semper gaudent. Unde Aristoteles, lib. VII *Ethices*, vocem *μακάριος*, id est beatus, derivat a *χαίρειν*, id est *gaudere*, quasi beatus sit qui semper gaudet.

Hæ octo beatitudines sunt quasi octo mundi paradoxa. Mundus enim et Philosophi beatitudinem collocant in opulentia, non in paupertate; in sublimitate, non in humilitate; in saturitate,

Luc. VI, 23.

Beati, todo deo dei.

Beati, 117000.

non in esurie; in gaudio, non in luctu, etc. Unde S. Ambrosius, lib. I *De Offic.*, cap. xxi: « Inde, ait, incipit beatus iudicio divino, ubi summa estimatur humano: » stultam ergo facit hic Christus sapientiam mundi, ut ait Apostolus, I *Cor.* I. « Veritas loquitur, » ait S. Bernardus, serm. *in festo omnium Sanctorum*, « que nec falli nec fallere potest, et ipsa est que dicit: Quoniam beati pauperes spiritu. Sic vos insensati filii Adam divitias queritis, divitias desideratis usque adhuc, cum jam beatitudo, pauperum divinitus commendata, predicata mundo, credita sit ab hominibus? Querat eas paganus, qui sine Deo vivit. Querat Judeus, qui terrenas promissiones accipit; sed qua fronte magis, aut qua mente Christianus divitias querit, postquam Christus beatos esse pauperes predicavit? » Et S. Gregorius Nazianzenus, *orat.* 42, initio: « Monachorum, ait, opes in paupertate, possessio in peregrinatione, gloria in contemptu, potentia in infirmitate, fecunditas in celibatu (siquidem prestantiores fetus illi sunt qui secundum Deum existant, quam qui a carne ortum ducunt), qui deliciis minime studere pro deliciis habent, qui regni celestis causa humiles sunt, qui in mundo nihil habent, et supra mundum existunt, qui etiam in carne extra carnem vivunt, qui pro portione Dominum habent, qui propter regnum inopia laborant et propter inopiam regnant. »

Monachorum eleg.

Has Christi beatitudines in templo legi audiens Simeon Stylites, cum oves pasceret, illico iis relictis adiit monasterium mox, columnam ascendit ac stetit in ea per dies et pernox, vix comedens, semper celestia meditans, factus orbi portentum, ut beatitudines hasce assequeretur. *Menologium Gregorum*, die prima septembris, assertit eum stetisse in columna 47 annos; Baronius vero supra 80, mortuumque anno Christi 460. Idem Simeon quotidie his predicans ad affluentem turbam, non aliud concionabatur, quam « contemnite terrestria, amate et amate celestia, que sola vos beatunt, » ut refert Theodoretus oculatus et auritus testis, in ejus Vita.

Porro S. Lucas, cap. vi, 24, singulis beatitudinibus apponit et opponit singulas infelicitates, comminans illis ea, id est eternam damnationem et gehennam, de quo ibidem. Denique has octo beatitudines non distinguo a virtutibus ejusdem nominis, nec a donis Spiritus sancti, docet Suarez, lib. II *De Necess. gratiæ*, cap. xxii, ubi fusa omnes octo explicat.

**PAUPERES SPIRITU.** — Pauperes hic vocantur ii qui earent bonis non nature, nec gratiæ, sed fortunæ et opum. Pauperes ergo hic proprie accipiuntur, opponuntur enim divitibus. *Luc.* vi, 24. « Vae, inquit, vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram; » divitiæ enim sunt causa superbiæ, gula, luxuriæ, injustitiæ, etc., quæ di-

vites trahunt in gehennam, uti traxerunt divitem epulonem, *Luc.*, cap. xvi. Ideoque hic proprie dicitur pauperibus in terra promittantur divitiæ celestes, ipsumque regnum caelorum. Idque significat vox Græca πτωχὸν, id est mendicis, ac Hebr. רשעים *rashim*, et Syrum כספים *meschim*. Unde Italicum *meschino*.

Beati ergo hic dicuntur pauperes non omnes, nec qui invita aut miserabili necessitate sunt pauperes, aut ex vana gloria, aut ex liberius philosophandi studio, ut Diogenes, Aristides et Crates Thebanus, qui magnum auri pondus, teste S. Hieronymo, projecit in mare, dicens: « Abite, male voluptates, mergo vos, ne mergar a vobis; » sed spiritu, id est laudabili voluntate a Spiritu sancto inspirata et ad spiritualia bona tendenti, cum scilicet paupertas propter Deum et regnum caelorum sponte suscipitur, ut fit a religiosis, qui eam proficenter et vovent; aut certe patienter toleratur, ut fit a fidelibus, qui a persecutoribus, raptoribus, vel incendio, naufragio, etc. bonis spoliatur. Ita S. Hieronymus; S. Basilius, in *Regul. brevior.*, interrog. 207; et S. Bernardus, sermone 1 *in festo omnium Sanctorum*.

Nota: Triplices sunt pauperes: primo, censu, ut mendici; secundo, spiritu, ut Abraham, qui censu erat dives, sed spiritu et affectu pauper; tertio, censu et spiritu, ut religiosi, qui ex affectu et amore paupertatis eam vovent et bonis omnibus se abdicant. Vice versa, triplices sunt divites: primo, censu, ut mercantes; secundo, spiritu, ut avari, qui ambiunt opes; tertio, censu et spiritu, ut divites, qui magis cupiunt ditari: « Vis intelligere, » ait Nyssenus, lib. *De Beatitudinibus*, « quis pauper spiritu sit? qui corporalem opulentiam animæ divitiis permutat; qui propter spiritum egenus est; qui terrenas divitias veluti quoddam onus excussit et abiecit, ut sublimis per aerem sursum rapiatur, ut inquit Apostolus, in nube una cum Deo per celestia tendens. Ponderosa quedam res est aurum, onerosa res omnis quæ divitiarum causa expellitur; leve vero res quedam et sublimis petens est virtus. Si igitur ad superna nos accedere oportet, ab iis quæ deorsum trahunt, inopes et egeni simus, ut in supernis versemur. »

Vox spiritu ergo tria significat: primo enim opponitur carni et censui, et significat hujus paupertatis subjectum esse non corpus, sed spiritum, id est voluntatem, a. d. Beati pauperes non carne, non censu, sed spiritu, quorum spiritus pauper est, id est amans paupertatis, hoc est contemnens terrena et amans celestia. Hic enim est pauper soli, sed dives cœni. Sic sepe sumitur spiritus in Scriptura, ut cum ait Apostolus, *Rom.* 1, 9: « Testis est mihi Deus, cui servio in spiritu meo. » Et Christus, *Joan.* iv: « Deus spiritus est, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare. » q. d. Non cœremonta-

Triplex censu pauper.

Triplex censu et spiritu.

Paupertas hæc oritur ex humilitate.

Spiritus dicitur iustificatus.

externis, sed interno spiritu et devotione mentis adorandus est Deus, juxta illud Catenis:

Si Deus est animus, nobis ut carnis dicunt, hic tibi præcipue pura sit mente colendus.

Ita S. Bernardus, serm. 1 *in festo omnium Sanctorum*: « Pauperes, ait, spiritu, id est spirituali voluntate, spirituali intentione, desiderio spirituali, propter solum beneplacitum Dei et salutem animarum; » idque dicit: « Propter plebeios pauperes necessitate miserabili, non laudabili voluntate. »

Secundo, spiritu significat originem hujus paupertatis non esse ex necessitate, ostentatione, vanitate, uti fuit Diogenes, Crateris, Aristidis, sed ex Spiritu sancto; hic enim aspirat nobis voluntatem hujus paupertatis Evangelicæ, facilitate ut sit virtus christiana, imo religiosa et divina. Vere S. Augustinus, in *Sentent.*, sententia 250: « Dives, ait, qui talis est, ut contentum in se quidquid illud est, unde inflari superbia solet, pauper est Dei. » Et S. Hieronymus: « Spiritu, ait, id est propter Spiritum sanctum voluntarie pauperes. »

Tertio, spiritu significat finem hujus paupertatis, scilicet quod contemptum opum referatur ad spiritum, id est ad spiritualia bona, ut liberi a terrenis, expeditis capiamus et tendamus ad celestia: pauper ergo censu, fit dives sensu.

Nota in spiritu in sequentibus beatitudinibus subintelligi. q. d. Beati mites, non qui tales sunt ex natura phlegmatica, lenta, feminea et languida; sed mites spiritu, id est ex virtute spirituali mansuetudinis aspirata a Spiritu sancto, ac tendenti ad spiritualia bona. « Beati qui legunt, » non carne, sed spiritu, id est ob amissa bona non carnalia, sed spiritualia. « Beati qui esuriant, » non carne, non ventre, sed spiritu, « justitiam. »

Porro, paupertas hæc spiritus conjuncta est et oritur ex humilitate et contemptu opum et honorum. Hinc recte SS. Hilarius, Augustinus, Chrysostomus, Ambrosius, Nyssenus, Epiphanius, Leo, Gregorius et ex iis Maldonatus, per *pauperes spiritu* intelligunt humiles mente et voluntate. « Nam, ut ait S. Chrysostomus, quod rerum necessitate aliqui humiles sint, laus non est, sed quod spiritu, id est libera voluntate et electione. » Unde Glossa: « Paupertas, ait, cujus nutrix est humilitas, duas habet partes, rerum abdicacionem, et spiritus contritionem. » Aliam analogiam, aliter explicando spiritu, dat S. Augustinus, lib. I *De Serm. Domini in monte*: « Vulgo, ait, magnos spiritus superbi habere dicuntur. Quis nesciat superbos inflatos dici, tanquam vento distentos? Quapropter recte hic intelliguntur pauperes spiritu, humiles et timentes Deum, id est non habentes infantem spiritum. » Initium enim gratiæ et gloriæ regniq. celestis est humilitas, sicut initium culpæ et gehennæ est superbia. *Eccli.* ii, 45. Unde S. Ambrosius, lib. V in *Luc.* vi, 20:

Radix beatitudinis est paupertas.

Symbolum.

« Oportet, ait, te fieri pauperem spiritu; humilitas enim spiritus divitiarum virtutum sunt. » S. Leo, hom. *in festo omnium Sanctorum*: « Quid hæc humilitas sublimius, quid hæc paupertate locupletius. »

Radix ergo et basis beatitudinis et perfectionis Evangelicæ, est voluntaria paupertas et humilitas, sicut radix omnis peccati est superbia et cupiditas, sive ut Apostolus ait, I *Timoth.*, cap. vi, 10, εὐσχημία, id est argenti aviditas.

Præclare S. Cyprianus, tract. *De Nativitate Christi*: « Pauperes, ait, electi: superbi, neglecti; neo fastus, nec altus, circa Christi discipulatum aliquem obtinuit locum. Christus pauper discipulos divites aspernatur. Pauper mater, pauper filius, inops hospitium his qui in forma scholæ hujus in Ecclesia militant, præsent efficaciam documentum. Hunc in canabulis adorare et parvulum confitentes Deum. » Hoc Christus docuit nascens in stabulo, vivens in hospitio, moriens in patibulo. Hi « pauperes sunt mundo, sed divites Deo; egenes sæculo, sed locupletes Christo, » ait Chromatius in hunc locum.

Denique S. Bernardus, serm. 1 *in festo omnium Sanctorum*: « Attende, ait, quam sapienter ordina-verit sapientia contra peccatum primum, remedium primum apponens, ac si apertus dicat: Vis obtinere cælum quod perdidit superbiens Angelus, qui confusus est in virtute sua et in multitudine divitarum suarum? paupertatis vilitatem amplectere, et tuum eris. »

Anagogice: Francisus Salesius, nuper Episcopus Genevensis, vir valde sapiens æque ac pius et sanctus, libro XII *Theotricæ*, cap. ii: « Pauperes, ait, sive mendici spiritu sunt, qui mendicant, id est esuriant et sifunt insatiabiliter spiritum, id est amorem et zelum Dei ejusque augmenta, ut is in eis assidue magnis incrementis assurgat et inardescat. »

Hinc audiivi quemdam sic explicantem: « Beati pauperes spiritu, » id est beati qui faciunt apud Deum quod faciunt mendici apud divites, qui scilicet tanta humilitate spiritus confitentur suam paupertatem, tantoque affectu mendicant gratiam apud Deum, quanto stipem a divitibus flagitant mendici. Unde S. Chrysostomus ait mendicos docere nos orare et opem Dei postulare, per *pathos* et affectus quos vultu, ore, tortis manibus, pedibus tucerosos toto corpore compassionem concitando, ostentant.

Editus est libellus quidam spiritualis *De Perfectione*, qui illam collocat in paupertate spiritus, sed mystica; « pauper enim spiritu, inquit, est is qui spiritu abnegat et a se abdicat non solum opes, delicias, honores, sed et omnes res creatas, adeoque etiam ipsam Dei gratiam et gloriam, ut se plane nudum sistat et quasi in nihilum statuatur coram Deo. » Probat id ex S. Taulero. Verum hanc nuditatem suam agnoscere licitum est, at non appetere (ut scilicet quis nudetur et privetur

gratia Dei) sicut appetenda est paupertas spiritus. Taulerus nil tale habet, sed tantum duplicem ponit paupertatem, scilicet externam, qualis est abdicatio opum; et internam sive mentalem, quam sicut ait in humilitate et abnegatione omnis solatii creati, ut homo non delectetur ulla re creata, ne gratia quidem, quatenus ipsa est res creata, ut in ipsa conquiescat, sed in solo Deo creatore omne suum solatium, quietem et gaudium constituat. Sed et hoc mysticum est, nec communium fidelium, sed subtiliter contemplantium et extaticorum opus, idque sobrie et cum grano salis exerceendum.

Solidius noster Ludovicus de Ponte, parte III, meditat. II, *paupertatis spiritus*, id est *humilitatis*, hosce tres gradus constituit: primus est, exire et purificare animam ab omni spiritu et vento vanitatis, et ab omni tumore et presumptione vana, confestim omnes mundi pompas. Secundus, meipsum ab omni proprietatis spiritu expoliare, proprium iudicium et voluntatem cum omnibus aliis desideris omnino exuendo. Tertius et supremus actus est, ita meipsum exinacire, ut adeo pauperem me agnoscam, quod ex me ipso nihil prorsus habeam, nisi Deus gratis mihi donet. Nam ne ipsum quidem esse, quod habeo, meum est, sed Dei, sine quo nihil sum. Ex me ergo nihil aliud habeo, nisi nihilum nature, id est non esse; et nihilum gratie, id est peccatum.

*Gratus paupertatis Evangelica.*  
 Querens primo, an hæc paupertas spiritus sit præceptum, an consilium evangelicum? Rursus, quot ejus sint gradus et species? Resp. Varios ejus esse gradus, quorum alii consilii sunt, alii præcepti.

*Primus.* Primus et summus est, omnes opes omnesque res caducas imitatione et amore Christi relinquere tam affectu interno, quam effectu et opere externo, ut fecere Apostoli et faciunt religiosi. Hic gradus est consilii, non præcepti.

*Secundus.* Secundus est, patienter ferre confiscationem bonorum propter Christum et orthodoxam fidem, quod est genus quoddam martyrii; qui enim tollit opes ad vite sustentationem necessarias, tollit ipsam vitam. Hinc multi hodie catholici sunt in Anglia viri divites et nobiles, qui malent pati mortem quam spoliium bonorum. Durum enim est non tantum te, sed et filios omnesque posteros tuos privare hereditate avita, ac nobilitate et prisco stemmate avorum, omnesque redigere ad ignobilitatem, paupertatem et manfiam; sed eo gloriosiores sunt qui id præstant propter Christum, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Tales fuere Ilebæri conversi ad Christum, qui ideò a Judæis spoliabantur suis bonis, quos dilaudans Apostolus: «Rapiam, inquit, bonorum vestrorum cum gaudio susceptis, cognoscentes vos habere meliorem et manentem substantiam. Nolite itaque amittere confidentiam que magnam habet remunerationem. Patientia

enim vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem, » etc. Hic gradus est præcepti. Tenemur enim pro Christo et fide profundere non tantum opes, sed sanguinem ac vitam.

*Tertius.* Tertius paupertatis gradus est, tolerare patienter rapinam bonorum, aut aliam injustitiam a potentioribus vel tyrannis illatam, ut saepe fit, v. g. cum quis litem justam de prædiis, rebusve sibi debitis, aliudve quolibet, quod jure suum est, perdit ob potentiam vel tyrannidem partis adversæ.

Quartus est, opibus a Deo datis non affici, sed affectu eas relinquere et paratum esse ad eas re ipsa relinquendum, cum hoc erit ad majorem Dei gloriam. In hoc gradu fuit Abraham, dives censu, sed sensu et spiritu pauper.

*Quintus.* Quintus est, malle paucis esse contentum in loco ubi melius servias Deo, quam abundare in alio ubi plus reperias opum, sed minus pietatis. Item victi, vestitu et statu mediocri potius gaudere, quam magnis divitiis, ut amplius Deo servire queas.

*Sextus.* Sextus, opes habere, sed eas erogare in pauperes et pios usus, etiam subtrahendo tibi necessaria.

*Septimus.* Septimus, malle esse pauperem, quam per injustitiam, irreligionem, vel aliud scelus parare divitias, ut fecit Tobias, qui moriturus hoc documentum dedit filio, cap. iv, vers. ultim.: «Noli timere, fili mi; pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum.»

Ex his gradibus secundus et septimus præcepti sunt, primus vero, quartus et quintus sunt consilii; denique tertius et sextus nunc præcepti sunt, nunc consilii.

*Quæres secundo, cur Christus inter beatitudines Evangelicas primum locum assignat paupertati spiritus? Resp. Ratio a priori prima est, quod hæc paupertas evertet et opprimat cupiditatem, quæ est radix et fons omnis peccati et mali, II Tim. vi, 10. Quare hæc paupertas hominem quasi restituit statui innocentie; in quo nihil alicui erat proprium, sed omnia singulis communia. Adami enim et posterorum ejus totus erat mundus, ut ex eo Deum agnoscerent, amarent, laudarent, semota omni proprietate, que est radix cupiditatis, rixarum et litium. In pauperibus ergo «quod superfluitas tenuissime pravitatis inquinat, cæminis paupertatis purgat, » ait S. Gregorius, hom. 40 in *Evang.**

*Secunda ratio est, quod hæc paupertas liberet hominem a mille distractionibus, curis et sollicitudinibus quas afferunt opes opumque desiderium. Quocirca ipsa est «portus tranquillus, palestra et gymnasium sapientie, » ut S. Chrysostomus, hom. ult. in *Matth.* Ipsa enim facit hominem expeditum, ut animum a terrenis desideris liberum tradat studio, orationi, virtuti et*

Tertius.

Quintus.

Septimus.

Car paupertas prima libertudo? Ratio a priori. Prima.

Secunda.

eternitati. Hinc sapienter S. Bernardus: «Noli, ait, amare bona que possessa onerant, amata inquinant, amissa cruciant.» Huc facit et illa ratio S. Gregorii, hom. 32 in *Evang.*, quod «nudi cum nudis (demonibus) luctari debemus;» nam si vestitus quisquar, quicquid luctatur, citius ad terram dejicitur, quia habet unde teneatur. Quid enim sunt æreæ omnia, nisi quedam corporis indumenta? Qui ergo contra diabolum ad certamen properat, vestimenta abiciat ne succumbat. Nihil in hoc mundo amando possideat, nullas rerum labentium delectationes requirat, ne unde ad votum regitur ad casum inde teneatur.

Tertia, quia hæc paupertas facit ut homo amorem suum avocet ab omni re creata, eumque totum cum omni sua spe in Deo creatore defigat; in amore autem Dei pleno et perfecto consistit summa virtutis veraque hujus vite beatitudo. Quocirca da S. Francisco scribit S. Bonaventura in ejus vita, cum sæpe a fratribus rogaretur quanam virtus præcipue et maxime nos Christo Domino commendaret gratosque faceret, eum cum inusitato quodam affectu respondero solitum, paupertatem; eam enim esse viam salutis, humilitatis fomentum, perfectionis radicem, et ab ea multiplices fructus existere, quamquam occultos et paucissimos cognitos.

Pauper spiritu ergo assidue cum Deo et Christo dissuaviens, dicit: «Dominus pars hereditatis mee: tu es qui restitues hereditatem meam mihi.» Ps. xv. Et: «Quid enim mihi est in celo, et a te quid volui super terram? Defecit caro mea et cor meum, Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum.» Psal. LXXII, 25. Tu, Domine, es pelagus bonorum omnium unicuique animæ mee thesaurus. Excite ergo a me pondus omnium terrenorum desideriorum, ut igne amoris tui solius ardeam et diluvio charitatis tue penitus absorbear. Eia honor meus, gaudium meum, sinecera voluptas mea, Jesu, tantam, quæso, amoris tui flammam in penetralibus cordis mei excita, ut deinceps nihil sub sole eligam, nihil concupiscam præter te. O Domine mi, cœlum, terra et omnia quæ in his continentur, sine te sint mihi velut hybernum gelicidium. Tu solus me afficias, solus letifices, tui solius amor in intimis vivat et ardeat ac vivus atque ardens permaneat. Posside mentem meam, o summum et incommutabile bonum, posside eam, ut ipsa possideat te.

Quarta, quia hæc beatitudines proprie a Christo dicuntur et assignantur Apostolis et viris religiosiis ac apostolicis, aspirantibus ad perfectionem eque ac prædicationem Evangelicam; quia enim Apostoli totum orbem circuire et ubique prædicare debebant opes regni cælorum, hinc pariter debebant ipsimet esse pauperes spiritu, ut expedire, tum sermone, tum potius vita et exemplo, præ se ferrent contemptum opum terræ, ne Gentiles putarent illos per prædicationem querere

suas bursas potius quam animas; sed viderent eos homines esse cœlestes et divinos, ac regnum cœlorum quod ore prædicabant, mente possidere.

Plura hæc de re dixi, *Actor*, iv, 32. Vide et Climacum, gradu XVII; S. Chrysostomum, lib. II *Contra Vituperat. vite monasticæ*; Salmeronem, tom. V, tract. 3; et Hieronymum Platun, lib. I *De Bono status relig.*, cap. ix, et lib. II, cap. iii.

Hæc de causis paupertatem hanc spiritus primus verbo et exemplo docuit Christus, deinde B. Virgo, mox Apostoli, item Essæi, imo omnes primi Christiani, de quibus ait Lucas *Act*, ix, 32: «Nec quisquam eorum que possidebat aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia; imo hoc volebant; unde Ananias et Saphira hoc votum violantes, a S. Petro puniti sunt subita morte.» *Actor*, cap. v.

Illos secuti sunt viri et Prelati apostolici, S. Antonius, S. Augustinus, S. Basilius, S. Chrysostomus, S. Gregorius Nazianzenus, S. Hieronymus, S. Gregorius Magnus, S. Paula, S. Paulinus, S. Gallicanus, S. Alexius, qui raro in orbe exemplo opes amplissimas, parentes et sponsam reliquit, ut pauperem Christum pauper et peregrinum in Syria sequeretur, quasi hospes terre et civis cœli; ac tandem in domo paterna incognitus, quasi mendicus, viveret et moreretur, factus mundi ludibrium, imo mundum delendum et iudicandum. Posteriori ævo eamdem paupertatem amplectati sunt, et sui ordinis alumnos amplectari docuerunt S. Benedictus, S. Bernardus, S. Romualdus, S. Dominicus, sed præcipue S. Franciscus, qui hujus paupertatis Evangelicæ dignitatem profundissime penetravit et adamavit, eamque sui Ordinis fundamentum constituit: unde eam in omni sermone nunc matrem, nunc sponsam, nunc dominam appellabat, sæpe etiam reginam, quod in Rege regum Christo ejusque Genitrice adeo luculenter effulisset. Audi quid de ea suis asselsis sanciat in Regula, c. vi: «Frater nihil sibi appropriet, nec domum, nec locum, nec aliquam rem, sed tanquam peregrini et adversæ in hoc seculo, in paupertate et humilitate Domino famulantes, vadant pro elemosyna confidenter. Nec oportet eos verecundari, quia Dominus pro nobis se fecit pauperem in hoc mundo. Hæc est illa celsitudo altissimæ paupertatis, que vos charissimos fratres meos heredes et reges regni cœlorum instituit, pauperes rebus fecit, virtutibus sublimavit. Hæc sit portio vestra qua perducit in terram viventium. Cui, dilectissimi fratres, totaliter inherentes, nihil aliud pro nomine Domini nostri Jesu Christi in perpetuum sub celo habere velitis.»

Idem S. Franciscus in rerum inopia exultans, tanto eam spiritus fervore deprædicavit, ut ex facie ignis emicare videretur: «Hæc enim, inquit, est virtus de celo in nos influens, que nos ita instituit et informat, ut terrena cuncta ultra

Paupertas dicitur Christus, asselsis Apostoli.

ESS. P. tres.

S. Alexianus.

Et S. Franciscus.

conculcemus, quæque obices omnes e medio tollit, quo humana mens cum Domino Deo suo liberissime atque expeditissime conjungatur. Hæc est, quæ animam adhuc in terris positam facit in caelis cum Angelis conversari. Hæc est, quæ Christum in cruce associat, cum Christo in tumulo absconditur, cum ipso resurgit et cum ipso in caelum ascendit. Hæc est, quæ dotem agilitatis super caelum volandi animabus ipsam amantibus etiam in hac vita concedit, cum vere humilitatis et charitatis alas se amantibus impertiat. Eamus proinde rogatum Apostolos sanctissimos, ut hanc gratiam nobis impetrent a Domino Jesu Christo ut ipse paupertatis forma et observator præcipuus eam nobis donare dignetur. » Ita Waddingus in *Annal. Minor.*, anno Christi 1216, n. 16. Hæc de causa S. Franciscus, ut initio suæ conversionis se denudans, omniacque cum vestibus patri eorundem Episcopo resignans, vitam religiosam et pauperem cepit: sic et eandem in simili nuditate et paupertate finivit; moriens enim se vestibus spoliatus, nudum in terram prostravit, dicens: « Feci quod meum, quod vestrum est, Christus vos edocuit. » Mox socius ei assistens, Dei instinctu providens ejus mortem et paupertatis studium, offerens ei chordam cum femoralibus: « Hæc tibi, ait, tanquam pauperi commodo, et tu illa suscipias obedientis sanctæ mandato, » que cum júbilo excipiens, vir sanctus elatis in caelum manibus Christo gratias agit, quod exoneratus ab omnibus, liber pergeret ad ipsum, quodque Christo crucifixo, qui nudus in cruce pependit, tam in vita quam in morte foret conformis. Quocirca de eo ita scribit S. Bonaventura in Vita ejus, c. vii: « Sanctam paupertatem Filio Dei familiarem considerans, et jam quasi toto orbe repulsam, eam sic studuit sibi charitate desponsare perpetua, quod non solum pro ea patrem matremque reliquit, verum etiam quæ habere potuit universa dispersit. Nemo tam auri, quam ipse cupidus paupertatis, nec thesauri custodiendi sollicitior ullus, quam iste hujus Evangelicæ margaritæ. In hoc præcipue suus offendebar aspectus, si quidquam videret in fratribus quod paupertati non per omnia consonaret. Revera a principio religionis usque ad mortem tunica, chordula et femoralibus dives, his contentus fuit. Christi Jesu paupertatem et matris frequenter cum lacrymis revocabat ad mentem, et fratribus proponebat in sermone. » Hæc fusius de S. Francisco retuli, quia ipse unus illuminatus, et quasi *Seraph* accensus a Deo, intimum paupertatis Evangelicæ sensum, medullam et apicem a Christo hausit et moribus expressit.

**QUONIAM IPSORUM EST REGNUM CÆLORUM.** — Par enim est et congruum ut amore Christi spernentibus opes regni terrestris, retribuuntur opes regni cælestis (ut, qui pauperes sunt in ere, dantur in æthere), imo et regni terrestris, quod spernendo obtinent, illique dominantur juxta il-

lud Pauli: « Nil habentes et omnia possidentes. » *HC or.*, vi. Quocirca Climacus gradu, XVII, non dubitat asserere pauperem monachum dominum esse mundi, et quia jactavit in Deum curam suam, possidere per fidem omnes gentes in servos. Idemque addit pauperem Dei famulum nullam rem amare vitiose; omnia enim quæ habet aut habere potest, reputat quasi non eint; et si recedere contingat, æstimat ut stercore. Audi S. Bernardum, serm. 21 in *Cant.*: « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum. Non eos æstimet sola caelestia possidere, quia ea sola audiunt in promissione. Possident et terrena, et quidem tanquam nihil habentes et omnia possidentes, eo pro certo magis domini, quo minus cupidi. Denique fidei homini totus mundus divitiarum est. Totus plane, quia tam prospera, quam adversa ipsius, æque omnia servant ei et cooperantur in bonum; ergo avarus terrena esurit ut mendicus, fidelis contemnit ut dominus. Ille possidendo mendicat, iste contemnendo servat. » Causam dat S. Chrysostomus, hom. 37 ad *Pop.*, quod Deus sit pauperum œconomus: « Deo, ait, pascente non est opus nos esse sollicitos. Nam quemadmodum si rex promiserit quotidianum victum ex cellariis suis se prebiturum, jam in futurum confidis, multo magis, cum Deus prebeat et omnia tibi tanquam ex fonte fluant, convenit ut ab omni cura et sollicitudine solum esse. Si autem pascat omnem carnem, multo magis sibi dicatis. »

Quocirca S. Franciscus, ut ex Thoma Pisano, Celano et aliis refert Lucas Waddingus in *Annal. Minor.*, anno Christi 1210, n. 80, sui Ordinis fratribus dictabat: « Paupertatem noveritis, fratres charissimi, virtutum esse reginam, quia in Rege regum et in Regina matre ipsius tam præstanter effulsit. Paupertatem scilicet, fratres, speciale esse viam salutis, tanquam humilitatis fomentum perfectionisque radicem, cujus est fructus multiplex, sed occultus. Hæc enim est Evangelicæ agri thesaurus absconditus, pro quo emendo vendenda sunt omnia; et quæ vendi non possunt, illius comparatione spernenda. » Et inferius: « Propter quod, pauperum more, pauperulus casulas erigite, quas non habitare debetis ut proprias, sed sicut peregrini et advenæ alienas. Leges namque peregrinorum sunt, sub alieno colligi tecto, sistere ad patriam, pacifice pertransire. Evangelicæ hæc paupertas nostri Ordinis est fundamentum: cui substrato primariæ scilicet omnis structura religionis innititur, ut ipsius firmitate firmetur et eversione funditus evortatur. Quantum itaque fratres declinant ab paupertate, tantum mundus declinat ab eis, et quærent, et non inventient. Si dominam eam paupertatem complexi fuerint, mundus eos nutrit, quia mundo dati sunt ad salutem. Commercium est inter mundum et fratres. Debent enim ipsi mundo bonum exemplum, debet eis mundus provisio-

nem necessariam; quando autem ipsi retraxerint bonum exemplum fide mentita, retrahet mundus manum justæ censuræ. » Et sane magni et continui iustur est miraculi, videre tot religiosos et religiosos ordinis S. Francisci (sunt facile toto orbe decies centena milia) paupertatem professos, sine casu, sine reditu, honeste tamen et comode ex fidei eum elemosynis vivere: nimirum hic elucet Dei erga suos pauperes providentia. Hic impletur illud Psalms, quod S. Franciscus suis profectoris pro viatico dabat: « Jacta super Dominum curam tuam, et ipse te nutriet. » *Ps.* LIV, 22. Et illud: « Divites eguerunt et esurierunt, inquires autem Dominum, non minuentur omni bono. » *Psal.* XXXIII. Hinc in Hispania Franciscano cuiquam nomine sancti Francisci petenti elemosynam, nullus audet negare, sed omnes liberaliter sua offerunt. Idem faciunt aliæ nationes Christianæ. Denique S. Augustinus, serm. 28 *De Verbis Apostoli*: « Felicitas, inquit, magna Christianorum, quibus datum est ut paupertatem faciant pretium regni caelorum. Non tibi displicet paupertas tua; nihil ea potest ditius inveniri. Vis nosse quam locuples sit? caelum emit. Quibus thesauris conferri possit, quod videmus paupertati indulget? Ut ad regnum caelorum veniret dives, possessione sua obtinere non potest; nunc obtinet, ut contempta perveniat. »

Nota: Christus non dicit: *Ipsis dabitur*, vel *ipsorum erit*; sed *ipsorum* est in presenti regnum caelorum, q. d. Ex hac mea promissione et Dei decreto ad ipsos pertinet regnum caelorum, ipsi in illud plenum jus habent, adeoque de eo inuendo certi sunt, perinde ac si illud jam manibus tenerent et in illo quasi reges regnarent. Adeo enim firma est spes promissorum Dei, ut per eam fideles rem ab eo promissam quasi manu prehendant, juxta illud, *Hebr.*, cap. XI, 1: « Fides est substantia rerum sperandarum, » q. d. Fides est quæ facit in mente fidelis subsistere bona caelestia quæ sperat; adeo enim illa ipsi assecurat, ac si realiter ea substantialiter ipsi exhiberet.

**REGNUM CÆLORUM.** — Ita vocatur beatitudo caelestis ubi beati cum Deo regnant in omni felicitate et gloria per omnem æternitatem. Vox *regnum* significat: *præcio*, honorum omnium in caelo abundantiam; *secundo*, honorum quibus beati a S. Trinitate et ab Angelis omnibus honorantur, celestidinem; *tertio*, regalem dignitatem. Beati enim sunt quasi reges qui dominantur non uni Hispaniæ, vel Asiæ, aut toti terræ, sed universo orbi, hoc est omnibus cæli elementis, animalibus, plantis et mixtis, adeoque ipsi gehennæ, omnibusque damnatis et daemonibus; hoc regnum enim meruerunt per paupertatem spiritus, quæ dominati sunt omnibus mundi bonis et cupiditatibus; unde ipsi redimiti coronis aureis, jubilantes perpetim canunt Christo: « Fecistis nos Deo nostro regum et sacerdotum, et regnabimus super terram. » *Apocal.* v, 10. Vide ibi dicta.

Regnum caelorum ergo est regnum Dei; quare beati idem possident regnum quod possidet ipse Deus, in eoque cum ipso jucundissime et splendidissime regnant perpetim.

**4. BEATI MITES, QUONIAM IPSI POSSIDENT TERRAM.** — Hoc est secunda beatitudo, in *Vulgata Latina*, quam sequuntur SS. Hieronymus, Augustinus cæterique Latini. In grecis vero codicibus, quos sequuntur Syrus, Arabicus, S. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius cæterique Græci, hæc est tertia beatitudo; secunda enim in his est: *Beati qui lugent.*

Congrue pauperibus spiritu subjunguntur mites, quia pauperes et humiles solent esse mites, sicut vice versa divites et superbi solent esse impatientes et irixosi; vicinæ ergo et cognatæ virtutes sunt, paupertas et mansuetudo: unde vicinæ sunt et Hebrææ voces *anî*, id est pauper, et *anî anai*, id est mansuetus. Addit Chromatius: « Homo non poterit esse mitis, nisi prius fuerit pauper spiritu. » Causam subdit: « Non fit mare tranquillum, nisi cessaverit venti; non extinguitur ignis, nisi materiam incendii spinarumque samenta detraheris: sic nec animus erit mitis et quietus, nisi que exsuscitant et inflammant, fuerint abdicata. » Porro « primo, » ait Chromatius, sunt mansueti, humiles, modesti, in fide simplices et ad omnem injuriam patientes, qui, præceptis Evangelicis instituti, dominicæ mansuetudinis imitantur exemplum. » Mites ergo sunt, qui impatientie, Mense todo beati, quæ

ire, invidia, vindictæ, cæterisque turbidis animi motibus et perturbationibus dominantur, ut nec obmurmurent Deo adversa immittenti, nec proximis injurias inferentibus indignentur, nec a lædentibus vindictam expellant, sed omnia placide tolerent in Dei providentiam, omnia hæc ordinentis ad suam gloriam et ipsorum salutem, plane se resignantes et conquiescentes; quare miti hæc morum suavitate omnium animos ipsi conciliant.

Alludit Christus ad illud David, *Ps.* xxxvi, 11: « Mansueti autem hæreditabunt terram, et delebuntur in multitudine pacis. »

Igitur mansuetudo: *primo*, facit nos gratos Deo et hominibus; *secundo*, similes Christo, qui ait: « Discite a me, quia mitis sum et humilis corde. » *Matth.* xi; *tertio*, aptos ad sapientiam et laudanda bona caelestia; horum enim capax est, con mansuetum, placidum et tranquillum, juxta illud, *Ps.* xxvi: « Diriget mansuetos in iudicio, docebit mites vias suas. »

Porro, quod mansuetudinis et beatitudinis eam consequentis, sunt: *primo*, mansueti corde et ore cum omnibus conversari; *secundo*, iras aliorum mansueti responso frangere; *tertio*, mansueti tolerare injurias et rapinas sibi factas; *quarto*, in his exsultare; *quinto*, sua mansuetudine et beneficiis vincere inimici et iracundi malevolentiam, eumque sibi conciliare et benevolam amicumque efficere.

Denique causam, imo plures causas cur mites sint beati dat Climachus, gradu XXIV, dum ait: « Mansuetudo est adiutrix obedientie, dux religionis societatis, furentium frenum, irascentium expultrix, magister gaudii, imitatrix Christi, cœlitum proprietatis, vinculum et nodus demonum, scutum adversus amaritudinem seu animi acerbietatem. In cordibus mansuetorum requiescet Dominus. Anima autem turbulenta nidus est diaboli. Mites hereditabunt terram, vel potius dominabuntur terris, furiosi autem exterminabuntur a terris suis. »

QUONIAM IPSI POSSIDEBUNT TERRAM. — Græce *επιπρωτα*, id est hereditate possidebunt, ut legit S. Augustinus. Arab. *hereditabunt*; Syrus *hereditatis iure possessuri sunt terram*. Apposite promittit Christus mitibus terram, quia mites sepe a rixosis bonis terræ spoliantur. Hanc injuriam ergo hac beatitudine eis sarcit et reparat hic Christus. At quam terram?

Mites Domini terræ, cuius? Resp. Primo.

Primo, S. Chrysostomus, Euthymius, Theophylactus et S. Augustinus, lib. I *De Serm. Domini in monte*, putant hic mitibus promitti terram presentem, q. d. Mundus beatos nuncupat potentes et sui vindices, qui injuriam sibi illatam retaliunt, imo in duplum et triplum ulciscuntur; at ego beatos dico mites, ac injuriæ et rapinae patientes, ut bona terræ sibi eripi mansuete tolerant; quia, licet tales sepe a mundo opprimantur, sepe tamen, Deo dante, stabiliter et quiete sua possident; si non, mansueti totus mundus patria est, et fideli totus mundus divitiarum est. Alludit ad Moysen, qui fuit hominum mitissimus, *Numer. XII*; ac sua mansuetudine Hebræis impetravit a Deo possessionem terræ promissæ, factam per Josue. Hic sensus verus est, sed non plenus, nec adequatus, sed sepe fallit: mites enim sepe a rixosis exagitantur bonisque privantur, juxta illud:

Dat veniam corvis, vexat censura columbas.

Addo Moysen Judæis promittere bona terrena; Christum vero Christianis bona cœlestia.

Secundo, melius.

Secundo, ergo melius et plenius cum S. Hieronymo hic; Nysseno, lib. *De beatitud.*; S. Basilio, orat. 2 in *Psal. XXXIII*; Cyrillo, in cap. LVIII *Isaie*, per terram accipe cœlum, que vivendum est terra, cum hæc nostra sit morientium, juxta illud, *Psal. XXVI*: « Credo videre bona Domini in terra viventium. » Et *Ps. CXXI*, 6: « Tu es spes mea, portio mea in terra viventium. » Et *Isaia*, cap. XXXVIII, 14: « Non videbo Dominum Deum in terra viventium. »

In cœlo terra quædam est.

In cœlo ergo terra quædam est, at non crassa, opaca et terrestris, sed subtilis, lucida et cœlestis. Ibi enim est paradisos rosarum, liliorum, gemmarum omniumque deliciarum, at non terrestrium, sed cœlestium, que mire oculos sensusque beatorum oblectant; alioquin enim corpora sensusque beatorum, que tam dura, imo mar-

tyria atrocia passa sunt in hac vita, carerent meritis suis oblectamentis, solaque anime et mentes eorum essent beate, quod est absurdum. Unde S. Joannes vidit, *Apocal.*, cap. XXI et XXII, civitatem cœlestem in quadropositam, et fundamenta ejus constructa ex jaspide omnique lapide pretioso. Vide ibi dicta. Hinc et Pythagorici, ait Clemens Alexandrinus, lib. V *Stromat.*, cœlum vocant *επιπρωτα*, id est terram ex adverso sitam, vel oppositam terræ nostræ. Taceo nonnullos Philosophos consensisse lunam et stellas inhabitari; in luna enim esse opacas civitates vastasque regiones et terras quas incolant homines a luna lunares dicti, teste Macrobio, lib. I in *Somnium Scipionis*, ideoque lunam vocari ætheream, terram vero cœlum terrestre, quod Plato quoque recenset in *Convivio*.

Singulis ergo hisce beatis et beatitudinibus promittitur regnum cœlorum, sed alio semper nomine et titulo, scilicet pauperibus nomine regni, mitibus nomine terræ, quia hi sepe fundis suis in terra a rixosis et potentibus spoliantur, q. d. Tolerate, o mites, hæc terræ spolia, quia vestra mansuetudini et tolerantie rependit Deus aliam terram, non imam hæc instabilem et mobilem, sed supernam, stabilem et cœlestem. Ipsa ergo beatitudo consistens in visione, fruitione et possessione Dei vocatur terra, tum ob stabilitatem, erit enim perennis et æterna; tum quia representata fuit ipsa per paradisos terrestrem et per terram promissam Judæis, ita *« Almeron. Mites ergo pacifice possidentur a Deo, quia ei in nullo resistunt; hinc vicissim in cœlestis gloria eum possidebunt. Nam, ut ait S. Augustinus, De Salutaribus documentis, cap. X, tom. IV: « Nullus erit possessio Dei, nisi ejus quem prius ipse possiderit. »*

Rursum per terram proprie accipe terram novam, de qua dicitur: « Ecce ego creo cœlos novos et terram novam. » *Isaia LXV*, 17; *Apor. XXI*, 4, et *II Petr. III*, 13, sive orbem terræ futurum, quem Apostolus, *Hebr. II*, 8, ait post judicium generale subiiciendum Christo quasi heredi, ac consequenter mansuetis ejus coheredibus; post judicium enim mundus totus, puta cœlum et terra, innovabuntur et glorificabuntur, ac subjiciantur Christo ejusque Sanctis.

Festive quidem vir sanctus, ait Salmeron, dixit: « Humilibus datur cœlum, mitibus terra: qui super est superbis et crudelibus, nisi infernalis miseria? »

Mystice: S. Bernardus, serm. 1 in *festo omnium Sanctorum*, per terram accipit corpus ait cor, quod possidet anima hominis mansueti regnans super carnis motus, et omnibus suis membris per mansuetudinem imperans.

Anagoge: S. Hilarius et S. Ambrosius. Post resurrectionem, inquit, mitis incipit possidere terram, id est corpus suum per gloriam, ac consequenter quodammodo et corpus Christi per

As in la  
an hab  
sent ho  
mines?

Terra  
nova.

Medi ad  
mansuetudinem.  
Primum.  
Secundum.  
Tertium.

Denique modus consequendi mansuetudinem

est: Primo, si ejus dignitatem et utilitatem, iræ vero indignitatem et damna sepe mediteris. Secundo, si iratus nil dicas vel agas, donec iram in corde sedaveris. Unde Clemens Alexandrinus, lib. V *Stromat.*, refert Athenodorum hoc consilium dedisse Augusto Cæsari, ut iratus nil diceret aut faceret priusquam viginti quatuor litteras alphabeti secum percurrisset. Tertio, si animo sis exalto: « Princeps, ait ille, superior est omni injuria. » Quocirca Augustus Cæsar obtrectantium sibi linguas spernebat, dictitans in libera civitate liberam oportere esse linguas. Quarto, si cogites exempla mitium ut imiteris, ac præsertim exemplum Christi crucifixi, de quo prædixit *Isaia*, cap. LII: « Sicut ovis ad occisionem ductetur, et quasi agnus coram tonante se obtusetur. » Et *Jeremias*, cap. XI, 19: « Et ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam, et non cognovi. » Ha S. Elzearius, comes Arriani, omnes injurias sibi illatas meditatione et imitatione passionis et mansuetudinis Christi superabat, adeo ut videretur esse *ἀπαθεία*; et insensibilis, ut habet ejus Vita.

Quartum.

configurationem et fruitionem: « Mitibus, ait Hilarius, terræ hereditatem pollicetur, id est ejus corporis, quod Dominus assumpsit habitaculum; et quia per mansuetudinem mentis nostræ Christus habitaverit in nobis, nos quoque gloria glorificati ejus corporis vestimur. » Et S. Leo, serm. in *festo omnium Sanctorum*: « Terra, inquit, promissa mitibus et possessionem danda mansuetis, caro Sanctorum est, que ob humilitatis meritum felici resurrectione mutabitur et immortalitatis gloria vestietur; in nullo jam spiritui futura contraria, et cum voluntate animi perfecte unitatis habitura consensus. » Et post nonnulla: « Possidebunt enim illam mites pace perpetua, et nihil unquam de eorum jure minuetur, cum corruptibile hoc induerit incorruptionem, et mortale hoc induerit immortalitatem, ut periculum vertatur in præmium; et quod fuit oneri, sit honori. »

Symbolice: mites possident terram, id est hominum, qui terreni sunt, corda; nam per mansuetudinem ea sibi conciliant et quasi obligant, ut ea possidere videantur, juxta illud, *Ecclesi. III*, 19: « Filli, in mansuetudine opera tua perfice, et super gloriam hominum diligeris. » Vide ibi dicta. Unde S. Chrysostomus, hom. 38 in *Genes*: « Nihil, inquit, mansuetudine est violentius. Nam sicut opprim, cum valde accenditur, aqua injecta resinguit; sic et animus camino magis exardescens, verbum cum mansuetudine prolatum extinguit. » Vide eundem, homil. 29 ad *Populum*. Quare mansueti possident terram, quia tot habent fides, quot sunt corda hominum, præsertim amantium Evangelicam mansuetudinem qui illis, licet exulibus, hereditate sua spoliatis alimenta ministrent.

Denique modus consequendi mansuetudinem est: Primo, si ejus dignitatem et utilitatem, iræ vero indignitatem et damna sepe mediteris. Secundo, si iratus nil dicas vel agas, donec iram in corde sedaveris. Unde Clemens Alexandrinus, lib. V *Stromat.*, refert Athenodorum hoc consilium dedisse Augusto Cæsari, ut iratus nil diceret aut faceret priusquam viginti quatuor litteras alphabeti secum percurrisset. Tertio, si animo sis exalto: « Princeps, ait ille, superior est omni injuria. » Quocirca Augustus Cæsar obtrectantium sibi linguas spernebat, dictitans in libera civitate liberam oportere esse linguas. Quarto, si cogites exempla mitium ut imiteris, ac præsertim exemplum Christi crucifixi, de quo prædixit *Isaia*, cap. LII: « Sicut ovis ad occisionem ductetur, et quasi agnus coram tonante se obtusetur. » Et *Jeremias*, cap. XI, 19: « Et ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam, et non cognovi. » Ha S. Elzearius, comes Arriani, omnes injurias sibi illatas meditatione et imitatione passionis et mansuetudinis Christi superabat, adeo ut videretur esse *ἀπαθεία*; et insensibilis, ut habet ejus Vita.

3. BEATI QUI LUAGENT (Arabice: *Beati tristes*), QUONIAM IPSI CONSOLABUNTUR. — *Qui luagent*, non carne, sed spiritu; *tristes* enim spiritu ex vers. 3, in omnibus his beatitudinibus est repetendum. Beati enim sunt, qui luagent ob amissionem non opum, parantum, amicorum, sed rerum spiritualium. Sanctus ergo hic luctus accipitur: opponitur enim ridentibus et gaudio omnique mundana prosperitate diffluentibus, quibus ut beatis mundus applaudit, Christus vero *tristitiam*, *Luce*, cap. VI, 25: « Vos, inquit, qui videtis nunc, quia lugebitis et flebitis. » Alludit ad *Isaia* cap. LXV, 14: « Ecce servi mei comedent, et vos esurietis. Ecce servi mei bibent, et vos sitietis. Ecce servi mei letabuntur, et vos confundemini. Ecce servi mei laudabunt præ exultatione cordis, et vos clamabitis præ dolore cordis, et præ contritione spiritus ululabitis. »

Porro, hic luctus suos habet gradus, uti et ceteræ beatitudines; beati ergo hic dicuntur lugentes, qui adversitates lugubres a Deo commissas aut permissas patienter tolerant. Ita Nyssenus, *De Beatitud.*; et S. Augustinus, lib. I *De Serm. Domini in monte*. Beatiores sunt qui sua aut aliena peccata luagent et desunt. Ita SS. Chrysostomus, Ambrosius, Hilarius et Hieronymus. Beatissimi vero sunt qui præ dolore lacte assidue quam cum carne et concupiscentia gerunt, præque desidio cœlestis patriæ, ac presentium præ amore Dei et Christi quo periret sui summe exoptant, luagent suum hoc in corpore et terra exilium. Ita Nyssenus, Jansenius et alii. Sic iugebat Paulus, dicens: « Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? » *Rom. VII*. Et: « Cupio dissolvi, et esse cum Christo. » *Philipp. I*, 23. Vide ibi dicta. In luctu hoc excellit S. Ephrem, qui in omnibus suis scriptis luget sanctumque luctum et compunctionem legenti aspirat. S. Macarius, ut habet ejus Vita, suis dictabat: « Ploremus, fratres, et producant oculi nostri lacrymas, antequam eamus hinc ubi lacryme nostra corpora comburant. Et flevant omnes. » Lacrymæ enim hic lavant, post mortem trant.

QUONIAM IPSI CONSOLABUNTUR — tum sepe in hac vita, tum semper in fœderibus, ubi erit, ut ait *Isaia*, cap. XXXV, 10: « Lætitia sempiterna super caput eorum; gaudium et exultationem obtinebunt, et fugiet dolor et gemitus. » Sane compunctio ipsa mire mentem compuncti solatur, pascit et reficit; et est in se gaudium sincerum in mundo, est in mente compuncta. Experire, et gustabis: « Cor quod novit amaritudinem anime sue, in gaudio ejus non miscebitur extraneus, » ait Sapiens, *Prov. XIV*, 10. Vide ibi dicta. Huc aludens S. Hieronymus describens obitum S. Fauli: lugentis instar pœnitentis, exclamavit: « O beata rerum commutatio! flevit, ut semper rident; desepit lacu contritio, ut fontem Dominum reperiret; vestita celitus est, ut nunc albis vestimentis uteretur, et diceret: Scidisti saccum meum, et induisti me

helitia. Cinerem sicut panem manducabat, et potionem cum fletu miscebat, dicens: Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, ut in æternum pane Angelorum vesceretur, et caneret: Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus. »

6. BEATI QUI ESURIUNT ET SITUNT JUSTITIAM, QUONIAM IPSI SATURABUNTUR. — Lucas, cap. vi, omittit *et justitiam*. Sic enim habet: « Beati qui nunc esuritis, quia saturabimini: » quare videtur loqui de corporali esurie, sed quæ ex spirituali oritur, aut certe ad eam dirigitur, uti explicat Matthæus, qui in verbis Christi recensendis est fusior et plenior, uti Lucas in factis ejusdem. Sensus ergo est, *q. d.* Beati qui esuriunt cibum et potum, sed spiritu (hoc enim repetendum est ex vers. 3), id est non carnali necessitate, sed virtute spirituali, æque ac spirituali fine et intentione, quia scilicet esuriunt et sitiunt justitiam; nam per esuriam et sitim acquirere vel augere volunt in se et in proximis justitiam. Unde Maldonatus *et justitiam* exponit *propter justitiam*. Hinc Lucas, cap. vi, 23, hos esurientes opponit saturis, scilicet vino et deliciis: « Væ, inquit, vobis, qui saturati estis, quia esurietis, » *q. d.* Mundus beatos prædicat saturos, ego vero esurientes, sed justitiam, avidosque, ut eam consequantur et augeant, etiam per esuriam, sitim aliasque carnis macerationes, vel sponte assumptas, vel aliunde illatas, ut innuit Lucas, cap. vi, 21. Ita S. Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, Hilarius, Nyssenus, Euthymus, Theophylactus et alii. Sic esuritis, sive famem, non corporalis, sed spiritualis intelligitur, *Amos*, viii, 11, cum ait: « Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et militam famem in terram, non famem panis, nec sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini. » Et, *Ecclesi.* xxv, 29: « Qui edunt me, adhuc esurient, et qui bibunt me, adhuc sitiunt. » Ad quæ loca alludit hic Christus.

Primus ergo gradus hujus beatitudinis esuriendi et sitiendi est esurire et famem ortam ex publica vel privata eiborum inopia patienter tolerare; secundus, esurire et sitire, jejunando sponte, ut per jejunium carnem domes, pro peccatis satisfacias tibi que vel proximis Dei gratiam impetres; tertius, pro fide Christi pati carceres et in his famem et sitim, imo fame enecari, uti nonnullis martyribus contigit; quartus, esurire et sitire justitiam, omnisque virtutis augmentum. Unde S. Leo, *serm. in festo omnium Sanctorum*: « Nihil, ait, aliud est diligere Deum, quam amare justitiam. »

Porro, distinguitur esuritis justitiæ ab ejusdem sitis, quasi imperfectum a perfecto; esuritis enim difficilior expletur, sitis facilior et jucundius. Audi S. Bernardum, *serm. 2 De Amant.*: « Verum quænam, inquit, dicit sapis tibi veritas, non sine difficultate et interiora trajectur. Ubi vero cooperis in ea oblectari, jam non cibum, sed potus est, et sine difficultate intrat in animam, quo videlicet spiritualis eibus intelligentiæ potu sapientie

digeratur, ne ipsius interioris hominis artibus, id est affectibus siccitate laborantibus, oneri magis sit quam utilitati. »

JUSTITIAM. *Primo*, justitia hic accipi potest pro speciali virtute quæ cuique jus suum tribuit, *q. d.* Beati sunt qui esuriunt justitiam, hoc est qui avidè exoptant ut justitia, quæ terræ quasi deseruit (juxta illud Ovid., *1 Metam.*:

— Et virgo erit malectas  
Ultima coelestem terras Astra respicit)

et in cælum fugit, in terram redeat, ne in toto orbe dominetur, et jus suum teneat. « Tales sunt qui a tyrannis vel potentibus injustè afflicti desiderant, inquit Rupertus, jus suum sibi reddi, uti videt et orphani oppressi unice desiderant: » iter, qui videntes alios injustè ab aliis vexari, ex zelo justitiæ optant eos ab hac injustitia liberari et injustos puniri. Nam, ut ait Aristoteles, *lib. 1 Ethic.*: « Neque desperas, neque soi ita luere ut justitia. » Et Cicero, *lib. 11 De Offic.*: « Tanta est vis justitiæ, ut ne illi quidem, qui maleficæ et scelere vacuantur, in eo sine aliqua justitiæ particula vivere possint, » uti fieri videmus in militibus suo principi rebellantibus, qui ut hanc rebellionem teneant, rigidam inter se exercent justitiam.

*Secundo* et plenius, justitiam hic accipit prout generalis est virtus; imo complexio omnium virtutum; hanc enim non simpliciter velle, sed assidue esurire et ardenter concupiscere debemus, ut iis mentem impleamus: « Non sufficit, ait S. Hieronymus, velle justitiam, sed esurire, ut per hanc famem nunquam nos satis justos esse credamus, sed semper justitiæ opera esurire intelligamus. »

Audi S. Bernardum, ep. 253 ad *Garinum*, inexplabile in justo proficiendi desiderium explicantem: « Nunquam justus arbitratur se comprehendisse, nunquam dicit satis est, sed semper esurit sitique justitiam, ita ut si semper viveret, semper, quantum in se est, justior esse contenderet, semper de bono in melius proficere totis viribus conaretur; non enim ad annum vel ad tempus, instar mercenarii, sed in æternum divino se mancipat famulatu. » Et post nonnulla: « Itaque indefessum proficiendi studium, et jurgis conatus ad perfectionem perfectio reputatur. Quod si studere perfectioni perfectum est, profecto nolle proficere, deficere est. Ubi ergo sunt qui dicere solent, sufficit nobis, nolimus esse meliores quam patres nostri? O monachi! non vis proficere? non vis ergo deficere? nequam. Quid ergo? Sic mihi, inquit, vivere volo, et manere in quo perveni, nec pejor fieri patior, nec melior cupio. Hoc ergo vis, quod esse non potest. Quid enim stat in hoc seculo? » Probat exemplo Christi, « qui pertransiit beneficiando et sanando omnes. Pertransiit ergo sicut non infructuose, ita non remisit, non pigre, non lento gressu, sed quemadmodum item de eo — tum

est: *Exultavit ut gigas ad currendam viam.* »

Denique concludit per scalam Jacob: « Vidit, inquit, scalam Jacob, et in scala Angelos, ubi nullus residens, nullus subsistens apparuit, sed vel ascendere, vel descendere videbantur universi, quatenus palam daretur intelligi, inter perfectum et defectum in hoc statu mortalis vite nihil medium inveniri, sed quomodo ipsum corpus nostrum continue aut crescere constat, aut decrescere; sic necesse sit spiritum aut proficere semper, aut deficere. » Præclare S. Augustinus, *tract. 4 in epist. S. Joann.*: « Tota vita boni Christiani, ait, sanctum desiderium est, » ut eat de virtute in virtutem, ut insatiabiliter opera virtutum sitiatur, ut occasiones inserviendi Deo denter ubique et undecumque capiat.

Mystice: esuriunt et sitiunt justitiam, qui esuriunt sitiuntque Christum, ut toto amore et spiritu illi jungantur, juxta illud: « Qui adheret Domino, unus spiritus est. » *1 Cor.* vi. Christus enim factus est nobis a Deo sapientia, sanctificatio et redemptio. Ita Nyssenus, *De Beatitude*, S. Augustinus, ep. 83 ad *Consentium*, sub finem; et S. Bernardus, *epist.* 190, post medium.

QUONIAM IPSI SATURABUNTUR. — Tum quia ipsa spiritus esuritis ipsummet pascit et saturat, juxta illud:

Isa sibi virtus sola est pulcherrima merces;

tum quia Deus desiderantibus gratiam suam ejusque augmenta, liberaliter illa offert, quæ ignavis et oscitantibus negat; tum quia in cælo adimplebit omnem eorum esuriam per felicitatem et gloriam. Nam, ut ait S. Bernardus, *epist.* 253: « Sempiterna esuritis sempiternam meretur refectionem. » Unde Christus: « Ego, inquit, dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo. » *Luc.* xxii, 29.

Hoc adepta est S. Paula, de qua ita scribit S. Hieronymus in ejus epitaphio: « Saturatur, quia esurivit, et læta decantat: Sicut audivimus, ita et vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri; o beata rerum commutatio! flevit ut semper rideret, despexit læcus contritus, ut fontem Domini reperiret; vestita cilicio est, ut nunc albis vestimentis uteretur, et diceret: Scidisti saccum meum, et induisti me helitia. Cinerem sicut panem manducabat, et potionem suam cum fletu miscebat, dicens: Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, ut in æternum pane Angelorum vesceretur, et caneret: Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus. »

7. BEATI MISERICORDIÆ, QUONIAM IPSI MISERICORDIAM CONSEQUENTUR. — Justitiæ jungit misericordiam, quia omne opus virtutis vel est debitum, et est justitia; vel est indebitum gratuitumque, et est misericordia; et quia misericordia justitiam temperat et dulcorat. Mundani beatos æstimant qui pauca dant, sed multa recipiunt, itaque opes

conservant seseque dilant; at Christi dogma paradoxum, sed verissimum est: « Beatus est magis dare quam accipere. » *Act.* xx, 35, ubi multas beatitudinis hujus causas recensuit, ac in primis illam: « Quoniam ipsi misericordiam consequentur. » Par enim est lege talionis, ut misericordiam facienti fiat vicissim misericordia; quod enim pauperi fit, hoc sibi factum Christus æstimat: quare cur in die judicii cætos cælo sit ad judicaturus et reprobos gehennæ, non aliam causam affert Matthæus, xxv, quam quod illi in se, id est esurientes suos fuerint misericordes, hi vero immiseriordes. Misericordia ergo misericordiam hic promittitur, et promissa præstatur a Christo, tum sæpe in hac vita, tum semper in futura. Beatitude cælestis igitur quam pauperibus promisit nomine regni cælorum, ab eodem misericordibus promittitur nomine misericordie, quia, ut ait Apostolus, « vita æterna est gratia, » *Rom.*, cap. vi, 23; tum quia gratis eam promisit Deus bene operantibus et eleemosynariis; tum quia initium boni operis et meriti est gratia: hec enim nos prevenit et excitat ad opus bonum, illique diviniæ dignitatem et vim merendi tribuit. « Vita æterna, » ait S. Augustinus, *lib. De Corrupt. et Gratia*, cap. xiii, « est gratia pro gratia, id est pro his meritis que contulit gratia, » juxta illud, *Ps.* cii: « Qui coronat te in misericordia et miserationibus. » Unde Syrus vertit: « Beati misericordes, quoniam super ipsos erunt misericordie; » quasi dicat: Misericordiam retribuatur misericordia, non una, sed multe. Deus enim ab eo non vult vincet, sed eum vincere sua liberalitate. Unde *primo*, misericordibus penitentiam inspirat, et per eam peccata remittit, juxta illud, *Daniel.* iv, 24: « Peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordibus pauperum; » *secundo*, gratiam frequentem et copiosam eis aspirat, per quam multa bona opera conquirit; *tertio*, propterea conferat eis vitam et gloriam æternam, quæ summa est gratia, ideoque nomine misericordie hic significatur. Nam, ut ait S. Augustinus, *epist.* 103: « Dum Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronat quam munera sua; » quia omne meritum nostrum in nobis non facit, nisi gratia. Gradus misericordie sunt: *primo*, miseri compati; *secundo*, misericordiam corporalem proximi per eleemosynam levare; *tertio*, anime ignorantia, afflictione, aut peccato laboranti succurrere; *quarto*, miseros prevenire et querere, ut eis succurras; *quinto*, tibi subtrahere commoda, vel etiam necessaria, ut aliis optuleris; *sic*, pro eis tum et te ipsum vitamque impendere, uti fecit Christus, S. Paulus et S. Pantianus.

Symbolice: misericordibus promittitur misericordia, id est Dei visio et possessio, ipseque Deus, cujus natura non est aliud quam misericordia, juxta illud, *Psal.* lvi: « Deus meus misericordia mea. » Das ergo pauperi nummum, et accipis Deum juxta illud: Da nummum, et accipies

gum; da micam, et accipe massam; da pretium, et accipe premium; da donum, et accipe Deum. Unde S. Leo, serm. in festo omnium Sanctorum: « Agnosce, ait, o christiane, tuæ sapientiæ dignitatem, et qualium disciplinarum artibus, ad que præmia voceris, intellige Misericordem te misericordiam, iustum vultu te esse iustitia, ut in creatura sua creator appareat, et in speculo cordis humani per lineas imitationis expressa Dei imago resplendet. Secura esto operantium fides, aderunt tibi desideria tua, et his quæ amas sine fine poteris. » Eleemosyna ergo non tam est misericordia, quam ingens fœnus et usura cum Deo; fœnge enim plus ab eo recipit quam illi det, unde illud: « Si vis fœnerari, fœnerare Deo; nam fœneratur Domino, qui miseretur pauperis et vicissitudinem suam reddidit ei, » Proverb. XIX, 47; quia, ut ait S. Chrysologus, serm. 42: « Manducat Deus in cœlo panem quem perceperit pauper in terra. Da ergo panem, da potum, si Deum debitorem, non iudicem vis habere. » Nervosus S. Augustinus, in Psalm. XXXV: « Attende, ait, quod facit fœnerator: minus vult dare certe, et plus accipere; hoc fac et tu. Da modica, accipe magna. Vide quam late crescat fœnus tuum. Da temporalia, accipe eterna. Da terram, accipe cœlum. » Sis ergo usurarius, sis fœnerator Dei; hæc usura pia, hoc fœnus sanctum est. Denique S. Chrysostomus, hom. 32 in ep. ad Hebr.: « Eleemosyna, ait, est amica Dei, semper ei propinqua, pro quibuscumque voluerit, facile gratiæ munus impetrat. » Et mox confert et præfert eam pavoni, quod magis decora grataque sit oculis Dei, quam pavo oculis hominum, ac de ea subdit: « Virgo est habens alas aureas, circumspecta per omnia venusteque succineta, vultum habens candidum atque mansuetum; pennata est, levis et semper ante solum regale consistit. Quando iudicatur, repente subvenit, et nos a suppliciis liberat iminentibus, alis suis nos contegens. Hanc amplius desiderat Deus quam sacrificia innumera. »

Emblema ecclesie  
Moyse.

Vers. 8.  
Gratus  
tres ha-  
bet mun-  
dum cor-  
dis cor.  
Primo.

8. BEATI MUNDO CORDE (S. Augustinus, De Sermonibus Domini in monte, legit mundicordes), QUONIAM IPSI DEUM VIDEBUNT. — Primo, mundum cor est mens casta et pura ab omni libidine et carnis concupiscentia, q. d. Beati sunt, non qui mundo et claro sunt intellectu, ut philosophi; nec qui mundo et polito sunt corpore ac vestibus, quod multis est impossibile; sed qui mundo sunt corde, id est pura castaque mente, quod omnibus est possibile. Ita S. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius.

Secundo, generalius et plenius, beati sunt, qui mundo corde, id est pura sunt conscientia, qui scilicet eam mundantur ab omni peccato, a pravis cogitationibus et desideris, a passionibus et perturbationibus, ab omni mala intentione et præserim ab omni duplicitate et hypocrisis. Mundo corde ergo sunt, qui simplici, recta et pura sunt mente, qui omne bonum faciunt sem-

per et cogitant, ait Auctor Imperfecti; sicut enim, si fons sit purus et illimes, aquæ ex eo profluentis pariter sint pure et illimes; sic et, si cor sit purum, omnis actio ex eo promanans erit pura et munda. Ita S. Hieronymus, Hilarius, Nyssenus et S. Augustinus, lib. I De Sermonibus Domini in monte.

Tertio, plenissime et perfectissime, summoque gradu beati sunt mundo corde, qui scilicet cor ab omni creaturarum amore emundarunt, ut mundum sit deitatis speculum et templum instar Angeli, utque totam mentis intentionem, affectum et amorem in Deum transferat.

Puritatis cordis perfecte indicium dat Cassianus, lib. VI De Spiritu fornicat., cap. XVIII, somnium, scilicet si quis dormiens non impura et illicita, sed pura et sancta somniat; hoc enim mentis ad purum a vitis excoctæ certum est signum. Porro, scalam in qua per gradus ad hanc puritatem sensim ascenditur, ita describit Cassianus et Sulpitius, lib. VI De Inst. renant., cap. LII: « Principium nostræ salutis timor Domini est. De timore Domini nascitur compunctio salutaris; de compunctione cordis procedit contemptus omnium facultatum, ac nuditas; de nuditate humilitas procedit; de humilitate generatur mortificatio voluntatum; mortificatione voluntatum extirpantur omnia vitia; expulsione vitiorum virtutes fructificant atque succrescunt; puritatem virtutum puritas cordis acquiritur; puritate cordis Apostolicæ charitatis perfectio possidetur. » Quocirca S. Antonius apud S. Athanasium munditiam cordis docet esse viam ad prophetiam: « Si quis, inquit, hoc assumat, ut futura cognoscat, habeat purum cor; quia credo animam Deo servientem, si in ea perseveraverit integritate qua renata est, plus seipso posse quam demones. Talis erat anima Elisei, quæ aliis incognitas virtutes faciebat. »

QUONIAM IPSI DEUM VIDEBUNT — facie ad faciem, ideoque visione Dei beabuntur; immundi enim corde habent cor quasi limo et fæce terrena obrutum, ut Deum videre nequeant: « Munditia animæ cordis et conscientie puritas, ait Chromatius, nullam nubem ad intuentium Deum patitur, sed faciem illi in se recipit, sicut speculum purum et tersum in se recipit solem, quem sicut a se excludit speculum impurum et impolitum, sic et cor impurum a se excludit Deum. » Audi S. Leonem, serm. in festo omnium Sanctorum: « Merito hæc beatitudo cordis promittitur puritati; splendorem enim veri luminis sordens acies videre non poterit; et quod erit iudicium mentibus nitidis, hoc erit pena maculosi. Declinentur igitur terrenarum caliginis vanitatum, et ab omni squalore iniquitatis oculi tergantur interiores, ut serenus intuitus tantum Dei visione pascatur. » Hinc patet, ait S. Augustinus, Deum non oculis, sed corde, id est mente a beatis videri; est enim ipse incorporeus et purissimus spiritus.

Posset secundo hæc Dei visio accipi pura et affectuosa Dei cognitio, quam Deus mundis corde in hac vita sæpe præ aliis majorem imperit: « Agite ergo, » inquit ex Fonteio S. Augustinus, lib. LXXXIII Quæst., XI: « o miseri mortales; hoc agite, ne unquam pollutæ hoc domicilio malignus spiritus, ne sensibus immixtus incoctæ animæ sanctitatem lucemque mentis obnubilet. Serpit hoc malum per omnes aditus sensuales, dat se figuris, accommodat coloribus, adheret sonis, latet in ira, in fallacia sermonis, ardoribus se subiecit, infundit saporibus, ac turbidi motus illuvie tenebrosos affectionibus tenebrat sensus; quibusdam nebulis implet omnes meatus intelligentiæ, per quos expandere lumen rationis radius mentis solet. Et quia radius æthereæ lucis est, in coque speculum divine presentia; in hoc enim Deus, in hoc voluntas innexia, in hoc recte facti meritum relucet, Deus ubique præsens est. Tunc autem uniceique nostrum simul est, cum mentis nostræ illibata puritas in ejus presentia pateat. » Dicit ergo sibi quisque cum Hieronimo:

Malo mori quam corde fœdari.

Vers. 9.

9. BEATI PACIFICI (altrouoci, id est pacem facientes, uti vertit Syrus), QUONIAM FILII DEI VOCABUNTUR. — q. d. Mundus beatus prædicat eos qui fortiter bella gerunt et hostes subigunt; et igitur hœdoque eos qui dissidentes et bellantes conciliant et ad pacem unionemque inter se et eum Deo revocant, aut revocare laborant et sagunt. Hoc enim est opus arduum et difficile, sed Deo gratissimum. Ita S. Chrysostomus, Euthymius, Theophylactus, S. Hieronymus, S. Basilii, quæst. CCXV inter brevior. Vide S. Gregorium, III parte Pastor., admon. 24 (1).

hæc  
ram gra-  
dus tres.

Gratus hujus beatitudinis sunt: primo, pacem animæ internam cum Deo habere vel procurare; secundo, pacem cum vicinis et proximis colere; tertio, dissidentes et discordes ad concordiam charitatis revocare. Nam, ut ait S. Leo, serm. in festo omnium Sanctorum, Christiana pax in uno Deo Deique charitate fundata est: « Extra dignitatem pacis, inquit, sunt improbarum paritates cupiditatum, fœdera scelerum et pacta vitiorum. » Quartus gradus est facere alios sibi similes, scilicet aliis instillare zelum pacis, ut studeant pacificare quoslibet discordes. Atque possent de hoc religio, vel congregatio pia institui magno Ecclesiæ honore, ut sicut sunt congregationes insulitane ad obedienda cetero misericordiam opera, v. g. ad serviendum infirmis, ad hospitandum peregrinos, ad alendum pauperes, ad sepeliendum mortuos, etc. Sic etiam instituat congregatio pacificorum, quorum officium sit omnes in urbe lites sopire, omnesque discordes ad concordiam et pacem revocare. Hoc enim magna charitatis

(1) Altrouoci seu pacifici, illi hic dicuntur qui pacem concordiamque sunt studiosi, uti etiam gallice pacifiques.

est opus in quo excellit noster P. Gaspar Barzæus Armusii et Goss, adeo ut advocati et procuratores dicent sibi moriendum esse fame, eo quod sopite forent omnes lites, ex quarum protractione ipsi vivebant. Logo ejus Vitam scriptam a P. Trigault. Quin et ripsa in nonnullis urbibus tales congregationes pacificorum erectæ sunt, per quas ingentia expensarum, discordiarum, pugnarum, odiorum damna, quæ lites afferre solent, a republica propulsantur.

QUONIAM FILII DEI VOCABUNTUR, — id est erunt, ut jure vocari possint filii Dei. Est catachresis vel metalepsis: filii Dei, id est simillimi Deo illique charissimi; Deus enim pacem maxime amat, ejusque causa misit Filium in mundum, quia ipse per essentiam est pax et unio: unde ipse tres personas divinas in una eademque individua essentia, ac deitate essentialiter uniti intimeque jungit. Hinc Deus vocatur « Deus pacis, » Philipp. ix. Ex adverso, diabolus est Deus dissensionis; quare qui eam seminant, sunt filii non Dei, sed diaboli: « In uno enim malo, ait S. Gregorius, III part. Pastor., admon. 24, innumera peragunt, quia seminando discordiam, charitatem, quæ nimirum virtutum omnium mater est, exstinguunt. »

Simili catachresis dicitur vers. 44 et 45: « Diligite inimicos, etc., ut sitis filii Dei, » id est similes et imitatores « Patris vestri, qui in cœlis est. »

Secundo, pacifici vocabuntur filii Dei, quia participabant officium et nomen filii Dei, puta Christi, cujus officium est homines reconciliare Deo et sibi invicem orbique pacem afferre, quam mundus dare non poterat, II Cor. v, 18; Colossens. I, 20; Ephes. II, 14. Unde ejus nomen est « Princeps pacis, » Isaia, cap. ix, 6; ideoque eo nascente pax nata est in terra, unde Angeli tunc cœcinerunt: « Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. » Luc. II. Ipse enim natus est ad hoc, ut hominem Deo, terram cœlo, peccatores Angelis reconciliaret, « pacificus per sanguinem crucis, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt. » Coloss. I, 20. « Quare ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum, et medium parietem maceræ solvens, etc., per crucem interficiens inimicitias in semetipso. » Ephes. II, 14.

Tertio, pacifici proprie et plenissime vocabuntur. Tertio, eruntque filii et hæredes Dei in cœlesti gloria quam ob meritum pacis conciliata hereditabunt. In cœlo enim omnes Sancti pro gloria beatificam sunt filii e. læredes Dei: « Hi sunt pacifici, » ait S. Leo, serm. in festo omnium Sanctorum, « hi bene unanimis, vocandi æterni nominis filii Dei, coheredes autem Christi, quia hoc mercedem dilectio Dei et proximi, ut nullas jam adversitates sentiant, nulla scandala pertimescat, sed finito omnium tentationum certamine, in tranquillissima Dei pace requiescat. »

Porro S. Bernardus, serm. 4 De Adventu, fictos pauperes, mites, ingentes, usurarios, misericordes, mundicordes. pacificos ita depingit: « Sunt,

Ficti  
vocalur  
filii Dei.  
Primo.

Secundo  
Christus  
Princeps  
pacis.

Tertio.

Ficti  
pacifici  
quid?